

DE MEDICAMENTORVM  
SIMPLICIVM DELECTV AC  
CONSERVATIONE.

*Simplicium genera.*

**M**EDICAMENTA simplicia, aut omnis generis Plantæ sunt , earumq; partes, aut animalia & earum partes , aut Terræ genera , aut Lapidum , aut Metallorum, quæque ex eorum venis eruuntur, aut fodinis nascuntur, aut mari, salmis &c aquis aut dulcibus. Ex his autem quædam apud nos nascuntur, quædam aliunde adferuntur.

Nostratia, quo tempore, quo loco, & qua ratione colligi & reponi debeant, regulis quibusdam comprehendemus.

Peregrina verò, quomodo sint dignoscenda & diligenda docebimus: deinde (quia plerunque continet, ut quæ ex locis remotioribus aduehūtur, magno emantur, eamque ob causam adulterentur, aut plurimum de sua generositate deperdant) sigillatim notas persequemur, quibus medicamenta illa rara, quæ facile adulterari solent, aut aliqui exoleta ad nos veniunt (tum quod sine vlo collectu collecta sint, atque malè seruata, tum temporis diuturnitate euanida) à veris & synceris discerni possint, ne medicamenta ea parte deficiant, in qua plerunque maior illorum vis reposita est.

*De Herbis Nostratis.*

Quæ apud nos nascuntur Herbæ in montibus, collibus, & planis locis: ipsis montibus altissimis colligi debent, locisque Soli & vento expositis, paucis exceptis quæ collibus frequentiores, magisque odoratae sunt, ut chamædrys & chamæphytys.

Quæ

Quæ verò locis planis duntaxat nascuntur, ea locis siccioribus, & à lacubus & fluminibus procul distis colligenda sunt, nisi riguis gaudent, ut nymphæ, tribulus aquaticus, lens palustris & similes.

Cæterum iam floentes, & semen quodammodo confidentes colligi debent cælo sereno, nullis per aliquot ante dies decadentibus pluvijs, nec etiam rore nimium madentes, nimioùe Solis calore retorridæ.

Deligēdæ sunt succi plenæ, floridæ, fugiendæ gra diores, graciliores & marcidæ. Comæ ergo cum folijs & floribus sumende.

Siccentur in umbra loco ad Meridiem spectante, non humido, puluerisque & fumi expertise.

Pyxidibus reponendæ, ne à prædictis offendì possint. Seruant suas vires annum unum: itaque quotannis renouandæ, nisi si anno collectæ fuerint, cuius temperies admodum sicca fuerit pluuiarumque ex pers: & cōtra subsequatur ætas admodum humida: tunc enim præstat his vti, quæ sicco illo anno superiore collectæ sint, quam quæ subsequenti pluuioso.

*De Herbis Peregrinis.*

Q u o d ad Peregrinas herbas attinet, quæ apud Veteres in pretio erat, certisq; quibusdā locis nascetur, ad quos nunc nō datur accessus, eamq; ob causam non adferuntur: omni diligentia animaduertendum est, an apud nos nascantur: deinde an illis facultate respondeant, notisque à Dioscoride atq; alijs tum veteribus tum neotericis authoribus delineatis: an præterea natales conueniant, veluti si montes sint similes, quales hi erant in quibus nascabantur, quæ tantoperè ab illis laudabantur. His certè similes sunt in Italia multi, præsertim in Hetruria & Liguria, in quibus herbae colliguntur nō minus generofæ, quam quæ è Creta, alijsue locis celebratis petebantur, præsertim si nec ver, nec ætas admodum pluuvia fuerit, obseruato scilicet tempore colligendi, & reponendi modo,

L I B E R P R I M U S

modo, vt suprà dictum est.

*De herbis peregrinis que apud nos non nascuntur.*

E A E herbae quæ apud nos non crescunt, quasque omnino aliunde aduehi oportet, ex Medicorum scriptis, vsuque quotidiano, notis quibusdam generalibus facile cognosci possunt, è quibus depræhendere licet, num ex plantæ collectæ fuerint loco, tempore, modoque conuenienti, tum etiam repositæ, ita vt nec temporis, nec loci, nec vecturæ ratione incòmodum ullum passus sint; quod ex odore, sapore, & earum colore depræhenditur, si insuper folia & flores ipsis ramis cohærent.

*De Floribus.*

F L O R E S qui in quotidianum usum veniunt, magna ex parte apud nos nascuntur; colligunturq; iam aperti, antequam marcescant, ijs locis in quibus ipsæ plantæ maximè celebres sunt. Siccantur & reponuntur vt ipsæ herbæ, durantque in sua facultate annum: singulis verò annis renouari debent, vt de Herbis dictum est.

Qui aliunde aduehuntur, ex odore, sapore, & nativo colore dignoscuntur: si præterea adhuc integræ sint, nec cominuti, vel si nullū aliæ vitiū contraxerint.

*De Seminibus.*

S E M I N A nostratia ijs locis colligenda sunt, quibus præstantissimæ herbæ nascuntur, eo nempe tempore, quo de herbis dictum est, cum videlicet maturerunt, antè quam decadant. Deligantur pleniora, non rugosa, & quæ odorem saporemque sui generis perfectissimum feruant. Siccantur vt herbæ, deinde vasculis vitratis aut facculis reponuntur, locoque sicciore & humiditatis expertise. Cæterum quæ certis regionibus celebrabantur (vt etiam ipsæ herbæ) his locis, si fieri potest, colligi debent, quæ proximè accedant ad eorū similitudinē, quæ à veteribus cōmendabantur. Nostratia annum aut biennum durant.

Quæ

Quæ foris , & peregrinis regionibus adferuntur,  
considerare oportet , an notis respondeat à Medicis  
præscriptis , & in eorum cognitione exerceri , vt ex sa-  
pore & odore dignosci possint . Deligantur ea quæ  
corpulenta sunt , nec rugosa & cariosa .

*De Fructibus.*

F R V C T V S nostrates his locis colliguntur ,  
vbi eorum plantæ sunt præstantissimæ . Colliguntur  
autem dum maturuerunt , antè quam marcescant .  
Deliguntur pleniores & bene habitæ . Siccantur sole  
aut clibano pro humiditatis illis innatae ratione . Re-  
ponuntur armarijs , pyxidibus , & locis quo neque hu-  
mor vllus , neque fumus , neq; puluis pertingere pos-  
fit : & mutantur quotannis .

Fructus peregrini ex ipsorum notis particularibus  
dignoscuntur , eorumque præstantia illis ipsis cognos-  
citur signis , quibus etiam semina .

*De Radicibus.*

R A D I C E S colligendæ sunt locis aptis , optimæ  
quæque , & præstantissimæ , fructu iam deperdito , &  
incipiente foliorum defluvio , cælo sereno ; pluviæ  
nanque illas imbecilliores reddunt , & humore crudo  
implent . Siccantur autem cum integræ , scilicet quæ  
sunt exiguae , vt valerianæ radix , asari , rufci , aspara-  
gi , & similiū : tum in taleolas sectæ : tum etiam ma-  
trice exempta , & solo cortice reseruato : deinde filo  
traiectæ paruis interuallis ne sese contingent , suspen-  
duntur loco suprà recitato , donec probè siccatae fue-  
rint , veluti radices gentianæ , brionizæ , carlinæ , cen-  
taurij maioris , & similiū , quæ planè eodem modo  
quo herbæ reponuntur . Exiguæ radices in annū ser-  
uantur : Maiores in biennium . Mutandæ autem sunt  
intra id tempus , si anni temperies sicca fuerit : fin au-  
tem admodum humida fuerit , eo præsertim tempore  
quo radices colligendæ sunt , satius est illis vti quæ  
præcedente anno collectæ sint , modo ea qua dictum  
est

L I B E R P R I M V S

est ratione seruata sint.

Exoticæ Radices peculiaribus notis dignoscuntur: Deligenda autem sunt quæ saporem, odorem, & colorem sui generis perfectissimum habeant, quæq; sint bene habitæ, non cariosæ, non marcidæ, nec rugosæ si fieri possit.

*De Succis.*

S V C C I ex plantis eliciuntur, virentium & tenerorum foliorum caulumue tritura, & manuum aut torcularis expressione. Horum statim ab expressione usus est, adseruanturq; aut liquidi, aut siccatai, aut cum saccharo mixti in modū Syrupi. Qui liquidi seruandi sunt, igne aut insolatione à crassioribus partibus repurgatur, & in phialam iniiciuntur superfuso aliquantulo oleo. Qui siccii reponendi sunt, aut sole, aut igne probè siccantur: tum demum vasculis vitratis, aut pyxidibus reponuntur. Liquidi mutantur quotannis. Siccii verò & apud nos expressi, aut singulis annis, aut ad summum biennio.

Externi generatim dignoscuntur, aut odoris, saporis, coloris præstantia, aut si non puluerulenti sint, alioùc modo corrupti.

*De Liquoribus, Lachrymis, &c. Gummis.*

L I Q U O R E S, Lachrymæ, & Gummi quæ Medicis in usu sunt, magna ex parte peregrina sunt. Nostra verò ex stirpibus adultioribus defluunt, aut ex fucco prægnantibus exprimuntur.

Iisdem verò notis Peregrina cognoscuntur, quibus suprà dictum est: eorum autem præstantia, aliorum quorundam collatione: quorū sigillatim mentionem faciemus, cum de simplicibus medicamentis agemus.

*De Corticibus.*

C O R T I C E S quibus Medici vtuntur, partim è fructibus, partim ex radicibus, partim ex ramis sumuntur, loco, tēpore, & modo conuenienti, vt dictum est.

Peregrini prædictis rationibus dignoscuntur: de quibus

quibus etiā sigillatim agemus: de his præfertim, quæ in frequentiore vſu ſunt.

*De Lignis.*

L I G N A magna ex parte peregrina ſunt. Noſtra autem ex arboribus adul̄tis decerpēda ſunt.

Peregrina particulatim traçtabimus.

*De Medicamentis ex Animalibus defumptis.*

E X Animalibus integris, aut eorum partibus medicamenta ſumuntur: Præferenda autem ea ſunt, quæ ex Animalibus media ætatis, bene pinguibus, beneq; habito corpore defumuntur. Quo modo autem præparentur & conſeruentur, poſtea dicemus.

*De ijs que ex terra & aquis ſumuntur, item de Metallicis, & Terris.*

H O C Medicamentorum genus plerunque peregrinum eft. Itaque de ſingulis quæ in maiore vſu ſunt agemus, & alijs quibusdā, quæ, cùm aliunde adferantur, diſſicile cognoscuntur. Horum autem deſcriptio- nem dabimus ex antiquis Scriptoribus, easque notas enu- merabimus, quibus & eorum prætantia, & adulterium, ſi quæ ſunt adulterina, facile depræhendatur, eaque omnia ordine alphabeticō trademus.

A C A C I A planta eft spinosa, è cuius fructu ſuc- cens acacia exprimitur, quem, quoniam nō habemus, non neceſſe eft describēre, ſed in ſuccedaneis, quid eius loco ſumendum eft, dicemus. Manat & gummi ex ea spina, quod videtur gummi tragacanthæ vul- gare, vt in eius historia dicemus.

Acorus teste Dioscoride folia fert iridis, radices non diſſimiles, ſummo cefpite ſparſas, complicatas, geniculis intercepitas, in obliquum aetas, albicantes, g��u acres, &c, vt Gal. ait, modicè amaras & odora- tas. Optima eft densa, candida, carie non exesa, plena, odorata. Cæterū omnes has ferè notas habet ea ra- dix, quæ hodie vocatur calamus aromaticus. Hanc ob cauſam, hæc ſemper pro acoro ſumenda eft, ſive

ea

L I B R E R P R I M V S

ea quæ in Succedaneorum catalogo recensabitur.

Adeps ex animali florente legitur. Eodem autem tempore non colligitur omnium animalium adeps, quod eodem tempore non pinguescant. Reponitur autem bene lotus, & ab omni cruento alijsque immunditijs repurgat, loco sicco ad Aquilones spectante: siue figulinis vasculis vitratis, folijs lauri siccis couolutus, & obturatus: aut exemptis membranis diligentissimè tritus, & duplice vase liquatus, fistili vitrato bene obturato locis siccis. Recens etiam & sine sale usurpat: & quando adipem absolute reperies, fumes adipem recentem illius anni, & sine sale conditum, quia post illud tempus mutat qualitatem, alijsque præditus est facultatibus.

Aes qua ratione vrendum sit, ut eius in Medicina usus esse possit, postea dicemus. Aes vero usum illud est, quod Italorum vulgo Ferretto di spagna vocatur. Probatur rubrum, & quod tritum colore cinnabarinum imitatur.

Aloë succus plantæ eiusdem nominis notissima est. Eius apud Diosc. duo sunt genera: quoddam arenosum, quod sedimentū purissimæ esse videtur: alterum iocinoris modo concretum, ex quo nomen vulgare sumpsit aloës hepaticæ. Eligi debet pinguis, syncera, calculorum & arenularum expers, nitida, rufi coloris, friabilis, iocinoris modo coacta, facile liquefescens, & eximiæ amaritudinis. Improbatur nigra, difficile liquefescens. Adulteratur gummi, quod depræhenditur gustu: nam non valde amara est, neque tam validi odoris, neque digitis friata ad minima usque frusta resoluitur. Nonnulli, teste Diosc. illâ succo acaciæ adulterant, quod maleficium gustu depræheditur, minus enim amara est, magisque adstringit.

Aluminis apud veteres tria fuerunt genera, Liquidum, Rotundum, Scissile, quo dūtaxat utimur sub nomine vulgari aluminis plumæ. Cæterū quotiescunq;

in

in medicamenti alicuius compositione alumen simpliciter reperitur, scissile intelligendum est, veluti omnium efficacissimum. Optimum est candidissimum, valde adstringens, graui odore, non lapidofum, non compactum, sed plerunque in capillamenta quedam canescentia dehiscens. Ex Aegypto adfertur. Adulteratur lapide Amiantho, sed gustu dignoscitur, quod non adstringat.

Præter iam recitata aluminū genera, factitia tria repe riuntur: nempe alumem fæcum, quod fit ex vini fæcibus Sole siccatis donec albescant, deinde vstis. Alumen catinum, quod fit è cineribus herbæ kali, seu fodæ vulgaris: Alumen scaiolæ, idque fit è lapide speculari, quem vulgo speculum astini vocant.

E factitijs etiam sunt alumen rocæ, & zucharinum: illud ex lapide candido, interdum sub rubro saepius præparato: hoc verò ex alumine rocæ, saccharo, & ouï albumine paratur. Aluminis liquidi & rotundi loco, satis commodè usurpare possumus alumen rocæ.

Ambra citrina, Latinis succinum, Græcis ἄλεκτρον, & Arabibus carabe dicta, ex quorundam sententia nascitur è liquido bitumine, quod è littoribus defluens in mare, concrescit eo quo videmus modo. Reperitur in Germaniae maritimis, procellis in littus prouoluta. Eius sunt aliquot genera: Fulua, quæ pellucida est, candida, & similibus alijs coloribus prædita: Candida verò, quod leuior sit, & odoratior, optima cœsetur. Probatur ea quæ attritu calefacta, illico paleas, aliasque res minutæ ad se trahat, & quæ accensa bituminis odorem reddit.

Ambra odorifera quæ ex Arabia fœlice, & India defertur; Iuxta quorundam sententiam etiam ex bitumine nascitur, eodem quo ambra fulua Germanica modo. Hæc plerunque in ventre piscium reperiatur, qui ea copiosius vorata moriuntur. Laudatur quæ circa eorum renes reperitur: improbatum quæ in flo-

B macho

## LIBER PRIMVS

macho est: ea verò optima habetur, quæ nondum à piscibus deuorata est, tametsi in ipsis piscibus non aspernenda interdum reperiatur. Optima est quæ ex India aduecta fulvescit: post eam, quæ ex Arabia foeli ci adfertur. Est etiam Factitia ex moscho, zibetho, ligno aloës, styrace & ladano: Odor auem rerum ex quibus fit, & color qui plerunque niger est, illam prodit: præterea aquæ imposta citius mollescit quam nativa.

Ammi hodie à nonnullis ostenditur, folijs foenicu lo tenuioribus, caule gracili, vmbella in qua candidi flores & semen minutissimum, cumino similis, non per omnia respondens veterum descriptioni. Pleriq; existimant, semen quoddam ex Hispanijs sub amomi nomine allatum, verum esse ammi, aut saltem eius loco usurpari posse. Vide succedanea.

Amomi planta hodie Italix incognita est, ideoque plura non attinet hic dicere: Eius succedaneum repes ries ad libri calcem.

Aristolochiæ tria genera Dioscoridi recensentur, Rotunda, Longa, Clematitis. Rotunda hodie notissima, radicem habet rotundam rapi modo, reliquasq; notas quas illi tribuit Dioscorides: Longa autem paucis adhuc cognita, quandoquidem ea quæ hodie pro Longa exhibetur vulgo, quibusdam est tertia species Clematitis dicta, quod nō habeat radices quaternos digitos longas, velut Longa Dioscoridis, sed longissimas & graciles, quales Clematitidis describuntur, tametsi (si Dioscoridis textus non est mendosus, vt aliqui existimant) folia semperuii minoris non illi conueniant. Itaque quænam sit aristolochia Longa & Clematitis, dubitatur. Cùm verò Rotunda sit omnium efficacissima, eius usus esse debet, quotiescunq; aristolochiæ nomen absolute reperietur: imò etiam Longæ & Clematitidis loco usurpari potest. Vulgaris Longa omnium imbecillima est.

Armo-

Armoniacum , Græcis & Latinis Ammoniacū dictum, lachryma est ferulæ Dioscoridi. Notissimum est. Probatur bene coloratum, minutis glebis thuris similiitudine , densum, syncerum, castoreum odore imitans, gustu amarum, ligni, calculorum , similiumque forditum expers.

Aſa foetida , plantæ peregrinæ lachryma aut succus est. Sunt qui existiment filphij succum esse in Media aut Syria nascentis, qui, teste Diſc. grati odoris non erat, vt armeniacus aut lybicus , quem nonnulli aſam odoratam esse arbitrantur & belzoin officinarum: sed non conuenit . Nam Diſcorides hunc ut præstantissimum & efficacissimum laudat : Arabes verò aſam foetidam calidiorem & potentiores asserunt : Multò minus belzoin esse potest , quod tanta excalfaciendi vi prædictum non est , quantum illi tribuit Galenus , dum laſerpitiſ loco euphorbium non recens ſubſtituit. Aſpalathum, quid nondum habemus, & in officinis profrus fit incognitū, non describemus: ſed ei<sup>o</sup> ſuccedaneū inter cætera recēſebimus.

Auripigmentum metallica res est , aurum colore imitans. Eius apud Diſc. duo genera. Vnum è multis squamis , vt altera alteri imposita videatur , conſtat: Id, ſi purum fuerit, nec vlli materiæ permifum, optimum exiſtimatur . Alterum colore fandarachæ, hoc eſt rubrum, glandis effigie. Deligendum ergo aureo colore micans, è tenuibus squamis compactum, quod facile finditur , & lapillis aut terræ permifum non eſt.

Ex auripigmento nativo fit Artificiale, arſenicum videlicet & Reagal vulgo vocatum.

BALSAMO cùm careamus, nulla eius hīc fieri mentio, ſed eius ſuccedaneū inter reliqua ponemus.

Bdellium lachryma eſt farracenicæ arboris, inquit Diſcorides. Probatur gustu amarum , transſlucidum taurini glutinis modo, intus pingue, & ſi tactu ſubi-

B 2 gitur

L I B E R P R I M V S

gitur, mollescens, ligni ac sordis expers, odore vnguis marini incensum. Facultate secundum, est veluti siccum, resinosum, liuescens. Tertiū est Indicum, sordidum, nigrum, grandioribus glebis in offas conuolutum. Adulteratur gummi: sed id minus est amarum, & suffitu minus odoratum. Ex eo quod in vsu est, diligendū quod maximē accedit ad prædicti notas, donec præstantius aliquod aduehatur.

Bedeguar, Dioscoridi spina alba dicta, ex quorundam sententia ea est planta spinosa, quae folia habet longa, angusta, maculis albis distincta, capitula spinosa, & in his flores purpurascentes: Nascitur in Hetruria locis montanis præsertim. Huic cōueniunt omnes ferē notæ à Diosc. traditæ, ideo veræ loco vſurpari potest, aut illi substitui, vt infrā dicemus.

Been album secundum quosdam polemonium est Dioscoridis, ea inquam planta quae radice constat cum bitali, candida, caule geniculato, betonicae altili vocatae non dissimili, ex quo dependent vesiculae seu folliculi quidam rotundi & candidi, folia polygono mari similia, maiora tamen & longiora, ex interualis bina. Notissima est per Hetruriam.

Been rubrum, aliqui Dioscoridis tripoliū esse volunt: Pro hac ostendunt plantam quandam in maritimis nascentem, folijs glasti, magis virentibus longioribusque; caule per summa diuiso, flosculisque purpureis onusto; radice rubra, palmū longa & contorta. Been rubrum cū hac descriptione magis quadrat, quam album cum polemonia: donec tamē certius de ea iudiciū statuatur, eius succedaneo vtemur.

Belzoin gummi est arboris peregrinæ (non autem laserpitium) agallochi forsitan, vt quorundam est opinio, quod vulgare est lignum aloës. Optimū censemur translucens, albis præditum glebulis, thuris æmulum, rubescens, odore grato, & quando vritur xylo aloës odorem referens: hac enim ratione ab adulterino

terino dignoscitur.

Berberis à Dioscoride spina acuta vocatur. Ceterum tametsi incertum est, an frutex ille sit spinosus qui Italis Crespino dicitur, an vero ea planta quæ pas sim in omnibus ferè sepibus nascitur, folijs incisis, mesplo aroniæ similibus, an alia quedam planta: vul gari tamē berberi vti possim⁹, donec aliud statuatur.

Bitumen, Græcis *ἀρφατος* dictum, est veluti terræ adeps qui facilimè ignem concipit. duūm est generum. Quod liquidum est vt oleum, vulgo petroleum vocatur, omnibus notum. Aliud densum picis modo quod, antequam concrescat, liquidum aquis supernatante solet: Huius generis est quod in Iudea nascens peculiariter asphaltos dicitur: videtur autem id esse quod vulgo sic hodie vocatur. Eius vero probatio est vt purpure modo splendeat, sitque ponderosum, & validum odorem vibret. Nigrum autem & sordidum vitiosum est. Adulteratur pice, quod color niger indicat, & picis odor.

Quod Babylone natū naphta vocatur, teste Dioscbituminis candidi aut etiam nigri colatura est, Vis ei ignium rapax. Huius loco, quia ad nos nō adfertur, nostro petroleo vti possumus: quemadmodum etiam asphalti loco, si dubium esset an asphaltus sit bitumē Iudaicum. Si quis autem asphalti modo densare vollet, vase æneo aut ferreo illud coquet, & quia facile flammam concipit; flamma, panno lineo madente in vas vbi percoquitur demissio, extinguetur. Hac ratione concretum petroleum pro naphtha & asphaltto usurpari potest.

Quod in Apollonia Epirotarum nascitur, quod mi stam bitumini picem redoleat, pissasphaltos appellatur, & mumia Arabum esse creditur, tametsi mumiā etiam appellant, Confectionem quandam qua cada uera coniduntur. Factitia etiam est pissasphaltos, admixta pice bitumini.

B 3 Aliud

## L I B E R P R I M V S

Aliud porrò bituminis genus est lapidis modo indu-  
ratum, veluti terra pharmacitis, aut ampelitis: Dein-  
de quod instar fragmentorum ligni terra effossum,  
sed atrum ut carbo, multis locis reperitur: Multi præ-  
terea alij lapides & gummi bituminis naturam ha-  
bent, quæ omnia breuitatis causa prætero.

Bolus Armenia hodie duorū est generū: alterū O-  
riétale: alterū Nostras, quod multis locis nascitur vbi  
sunt ferri fodinę. vtraq; rubricę species est. Existimāt  
nonnulli bolū Orientalem ex Armenia aduchi, eſſe q;  
illam ipsam quam Galenus colore pallido, Arabes lu-  
teo, croco similem describunt. Cæterū cùm illa sit  
rubra, vt dictum est, non abs re dubitatum, an sit bo-  
lus Armenia. Alij putat veram esse terram Lemniam,  
quæ olim Capræ imagine signabatur, aut eam potius  
quæ Galeno rubrica Lemnia vocatur, à terra Lemnia  
differens. Nam rubrica manus inficit, terra vero mi-  
nimè. Ut vt sit, existimamus alterā alterius loco usur-  
pari posse, vt postea dicemus. Nostrate vti possumus  
in medicamentis foris applicandis.

Borax notum est officinis. Fit è lapide translucido  
borace dicto Nitri fossilis genere. Huius usus est in  
medicamentis & Aurifaborum officinis, quemad-  
modum apud veteres chrysocollæ. Hæc metallica  
erat & factitia. Metallica in aurarijs, argentarijs, & æ-  
rarijs fodinis reperiebatur: præstantissima erat æra-  
ria, prasinī coloris: sed & hodie adhuc in ærarijs fo-  
dinis reperitur, arenæ per se similis, aut materiæ me-  
tallicæ permista, sed quæ abrasa arenæ similitudinem  
gerit. Factitia, ex pueri virina in æreo mortalio trita  
pistillo æreo fiebat: Hæc Medicis in usu fuit. Sunt  
etiamnum aliæ factitiae, quæ Pictoribus tantū feruiūt.

C A L A M V S aromaticus Dioscoridis hodie in-  
cognitus est. vulgaris autē calamus aromaticus, Aco-  
rum fortè est, vt iam diximus. De eo nunc plura non  
dicemus: sed Lectorem ad succedanea remitteremus.

Camphora, Arabibus Indicæ arboris lachrymæ est: Alijs verò Indici bituminis genus. Ferunt Indos id bitumen quod ex camphora nativa stillat excoquere, quodque tenuissimarum est partium albescere, & sublatum operculo adhærere, caphuramque in hunc modum conformari, ut illa videmus. Hinc fit ut Mercatores caphura bitumen plerunque admisceant: sed non ita canticat ut caphura illa modo iam dicto excocta. Eligatur alba, pellucida, syncera, valde odora-ta, quæ pani calido imposita madescit. Semine lini, aut milii, aut psyllij, aut pipere sepulta conseruatur, ne aéri exposita euaneat.

Cantharides officinis nota sunt. Probatur in frumento inuentæ, versicolores, & quæ luteas in aliis transuersas lineas habent, corpore oblongo. Cribro, aut fistili vase conduntur, cuius os raro linteo subligatum deorsum vertitur, ut excepto habitu aceti quam acerrimi feruentis æstu examinentur. Postea siccantur, & pyxidibus ligneis, aut fistilibus vitratis reponuntur. Biennium durant.

Cardamomum Græcorum, quod est cordumeni Arabum, tametsi multi dubitant quidnam sit. Illud tamen quod officinæ cardamomū maius appellant, cardamomi Græcorum loco usurpari posse videtur, quia aromaticam quandam acrimoniam, nec non amaritudinem, quamvis obscuram, habet. Aliud verò est cardamomum Arabum à Græcorū cardamomo: Eiusque duo genera constituant, maius, & minus, utrumque nobis incognitum: nisi maius illud intelligatur, quod melligetam aut granum Paradisi nuncupant. Semē est angulosum, acre, linguam vellicās, non admodum aromaticum. Cardamomum minus officinarum nullo modo conuenit cum cardamomo minori Arabum, neque ad aliquod cardamomi genus referri potest: sed est melanthij genus, ut in eius historia dicemus.

B 4 Cassia

L I B E R P R I M V S

Cassia Græcorū, vt ex Dioscoride & Galeno colligere licet, cinnamomum siue canella officinarum videtur, qua pro cassia commodè vti possimus. Præfertur longa, odorata, gustu cum acrimonia grato, rufescens: quod genus facilè reperiri potest.

Cassia Arabum, est cassia illa nigra solutiua vulgo notissima. Eligatur Alexandrina, amplis siliquis, grauis, quæ cōcussa, clausis intus granis nō strepat, cortice lœui & purpurascente.

In Græcorum medicamentis, si cassia præscribatur, eius loco canella optima sumenda est: tum etiam in Arabum scriptis, vbi Græcorum remedia recensent: & ijs etiam medicamentis quæ corpus non soluunt. Sin autem remedia ab Arabibus descripta sint: aut in eum usum præscripta, vt corpus purgent, cassia nigra vti debemus.

Castorium, castoris testes sunt. Eligi debet, inquit Diosc. qui ex uno principio committuntur, liquore intus veluti cerofo, odore graui & virus redolente, gustu acri, mordente, friabili, ac multis naturalibus tunicis circundato. Adulteratur gummi ammoniaco cum castoris sanguine & castorio subacto, deinde in vesiculam coniecto & siccato. Depræhenditur fraus ex notis prædictis, tum etiā quod facitij testes, ipsis natuuis, qui plerunque sunt exigui, ampliores sunt.

Centaurium duorum est generum, maius, & minus. Maius Dioscoridi folia iuglandis habet, oblonga, viridi brassicarum colore, in ambitu ferrata, caulem ceu rumicis, binum aut ternum cubitorū, multis ab radice adnatis, in quibus capita ceu papaueris, in rotunditate oblonga, flos ex cœruleo candicans, cyano flori perquam similis, verum maior: semen in floribus cōpactum, quale in floribus in pappos evanescentibus esse solet: radix crassa, grauis, flesquicubitum longa, rubescens, succo prægnans rubescente, & cum adstrictione quadā & dulcedine, acri. Huius radix

radix sub rhabontici nomine officinis notissima est. Centaurium minus paßim nascitur, notissimumque est ex Dioscoridis præscriptione. Maioris radix in vſu eſt: Minoris coma cum floribus & ſemine.

Cera notissima eſt. Optima eſt subfulua, modicè pinguis, pura, odorata, mellis habitum quadantenus referens. Secundum locum obtinet candicans, & ſuapte natura pinguis. Laudatur Pontica & Cretica.

Chalcitis metallica eſt, in venis ærarijs nata, mediae inter mify & fory facultatis, quibus caremus. De his vide ſuccidanea.

Cinnamomum Dioscoridis hodie incognitū plerique existimant, tametsi non defint qui in canellæ odoratioris capsulis facile reperiri poſſe putent, quia Diſc. cinnamomi quædam genera cassiæ ſimilia facit. Vt cunque fit, canella optima, & cimamomi, & cassiæ loco vſurpari poſteſt, donec melius aliquod medicamentum quod ſubstitui poſſit reperiatur.

Coagulum Leporis omnium præstantiſſimum eſt; deinde Hoedi & Hinnuli. Excipitur ante quām ipsa animalia aliud quidquam præter lac maternum deguſtauerint. Vituli marini coagulum excipitur prius quām cum matre ad prædam natare poſſit. Fumo aut foile exſiccata, & loco ſicco feruantur. Annum vnum aut biennum durant.

Coſtus Dioscoridi radix eſt candida, leuis, eximia odoris ſuauitate, qualem Arabicū eſſe dicit: hic præcellit. Secundum locū ſibi vendicat Indicus, crassus, leuis, vt ferula niger. Tertius eſt syriacus, grauis, colore buxeus, & odore nares feriens. Optimus eſt recens, albus, abunde plenus, densus, aridus, à teredib⁹ non erofus, fine graueolentia, gusto acuto ac linguam vellicans, &, vt ait Galenus, aliquantulum amaro. Omnes ferē optimi coſti nota in angelicæ radice, quæ ſatis nota eſt, reperiūtur. Hinc fit vt nonnulli putent, eam pro vero coſto ſubstitui poſſe: vt

B 5 verum

LIBER PRIMVS

verum fateamur , præstat eam costi loco usurpare,  
quàm costum vulgare officinarum , quod à iam di-  
ctis notis alienissimum est.

Croci cùm multus sit usus , & sanis , & in Medicina , cura adhibenda est ut optimus , recens , & syncerus deligitur . Nam varijs modis adulteratur : fed maleficium ex colore , odore , & pondere deprehenditur : siquidem adulteratus , nec vetus eam coloris grātiam habet , sed obscurior est , neque odoratus ut recens , sed situm redolet , & ponderosus est . Cæterū qui luteos quosdam flores admistos habet , odore & gustu dignoscitur , tum etiam quod eam coloris venustatem in tingendo nō habet , quam syncerus . Qui sapa sublitus est , sapore dulci , & colore obscuro eit . Cui permixta lithargyros , iusto ponderosior est .

Cubebæ , quarum in officinis usus , sunt fructus pegrinus , satis notus . Non sunt autem cubebæ Arabum , neque earum loco in Arabum præscriptionibus usurpari debent , sed canella : arbitratur enim Serapio cubebas esse carpesium ; ex Galeni sententia eas facultates cubebis tribuēs , quas Galenus carpesio tribuit , corticem cinnamoni similem esse asserens : imò cinnamoni loco carpesium maiore quantitate substuti voluit .

Circuma Arabum , radix est officinis nota . Creditur cyperi genus esse , quod Dioscorides in India nasci asserit .

Cuscuta , Græcis & Recentioribus cassutha dicta , planta est capillaris , sine folijs , reliquas plantas inuol uens & enecans . Nota est . Deligenda est quæ in genista reperitur .

Cynoglossum vulgare omnibus notum , tametsi Dioscoridis cynoglossum non sit , à Plinio tamen inter cynoglossi genera descriptum putatur , & easdem cum illo habere facultates : quā ob causam eius usus esse potest .

Cyperus

Cyperus iuncus est triangularis , interdum quadrangularis, cubitalis aut maior , folia fert porracea, longiora & angustiora, in summo caude minuta , semen complectentia: radices , quarum in Medicina usus, inter se cohærentes, oleis oblongis similes , vel rotundæ, nigræ, suavi odore, & amaro gustu. Nascitur in palustribus. Duorum generum in Italia reperiatur. Vnum exiguū, cui radices oleæ similes: hoc præferuntur . Alterum maius , cuius radices inæquales & contortæ . Optima ea est radix, inquit Dioscorides, quæ grauior est, densa, plena, dura, aspera, odorata cù quadā acrimonia, qualis est cilicia, syriaca, & quæ à Cycladibus insulis petitur. Sic & hodie quæ ex Oriente aduehitur, melior est nostræ.

Aliud Cyperi genus in India nasci Dioſc. dicit, gingiberis effigie: quod croci modo tingit. Illud veterum curcumæ esse non abs re plerique existimant.

DICTAMNUM, herba est in sola Creta nascentis, pulegio similis, sed maioribus folijs, cana lanugine pubescentibus. Florem nullum aut semen profert, inquit Dioſc. Theophrastus verò cæterique Autores & caulem illi tribuunt, & florem, & semen, ut manifestè videre licet in dictamno quod hodie ex Creta adfertur, cui quidé conueniunt reliquæ Dioſc. notæ, sed florem & semen profert.

Alia est planta, dictamnum album vulgo vocata, aliâs fraxinella, planè à dictamno Cretenſi diuersa, quæ quamvis valde efficax sit, dictamno Cretenſi substituti tamen non potest: hoc enim veteres intelligunt, cùm absolutè dictamnum scribunt.

Diphryges, æris veluti subsidens fæx est, quæ ære cocto, & post aquæ frigidæ offusionem sublatæ, ima fornacum parte cohærens reperitur. Est etiamnum aliud genus factitium, quod ex pyrite ærolo fit lapi de multos dies ut calx cremato, donec rubescat ut rubrica. Deinde sublatum reponitur.

Fiebat

L I B E R P R I M V S

Fiebat etiā ē luti cuiusdam cyprij genere, hodie inu-  
stitatum. Priora verò duo genera facilè reperiri pos-  
sunt. Adulteratur ochra exusta, quæ vt diphryges ru-  
bescit: Depræhenditur autem quod subitò linguam  
non exsiccat, nec saporem æris reddit vt natuum  
diphryges.

Dragagantum, Græcis tragacantha, lachryma est,  
quæ ē radice plantæ cuiusdam spinosæ eiusdem nomi-  
nis manans, concreuit. Prästat pellucens, lauis, gra-  
ciliis, syncera & subdulcis. Videtur ea esse, quæ vulgo  
gummi Arabicum vocatur: Contra verò ea quæ tra-  
gacantha dicitur, gummi acaciæ esse, vt suprà in aca-  
cia retulimus. Itaque cùm vires habeant similes, alte-  
ra alterius loco sumi potest.

E L A T E R I V M succus est ē fructu cucumeris  
sylvestris, plantæ notissimæ. Optimum est leue, non  
ponderosum, cum candore leniter humectum, gustu  
amarissimum, quodque lucernarum luminibus ob-  
iectum facilè flagrat. Improbatur scabrum, turbidum,  
porracei coloris, medium erui & cineris colorem re-  
ferens, & graue. Sunt qui amyllum immisceant, vt can-  
dorem ipsum imitentur, ponderosiusque sit. Abima-  
tu ad decennium vtile est inquit Diosc. tametsi aliter  
alij sentiant. Eius extrahendi ratio suo loco dicetur.

Ellebori duo sunt genera, album nimirum & ni-  
grum. Album radicibus nititur multis, tenuibus, can-  
didis, ab oblongo & exiguo capite exountibus cepa-  
rum modo: folia fert plantaginis, caulem palmo al-  
tiorem, cauum, tunicis conuolutum: satis notum est.  
Deligendæ sunt radices summis montibus collectæ  
tempore apto, candidæ, mediocriter extentæ, friabi-  
les, carnosæ, nullum in frägendo pulucrem emitten-  
tes, quæque sint medulla tenui, gustu feruente, nec  
tamen id vehementer, qua enim nimium acres sunt,  
strangulant.

Elleborum nigrum folia habet viridia, platani si-  
milia,

milia, minora, folijs sphondylij proxima, pluribus diuisuris incisa, nigriora, & crassiora, subaspera: caulis asper, flores ex candido purpurei, cotoneis similes, racematis cohaerentes: in quibus est semen cnicum simile: radicibus nigris, tenuibus, elleboro albo similibus, quarum duntaxat est vsus. Eligi debet bene nigrum, corpulentum, plenū, in quo tenuis sit medulla, acre gustu feruensque.

Elleborum nigrum quo hodie plerunq; vtuntur, non est iam descriptum: verum tamen etiam in Hetruria reperitur cum praedictis notis, tametsi raro. Itaq; cura adhibenda est, vt id sumatur, quamvis nō multum errent, qui in veri loco vtuntur vulgari.

Epithymum planta est cassuthæ similis, aut cassuta in thymo nascens, & illud cincinnis suis ambiēs. Cūm autem hoc tempore thymi copiam non habeamus, caremus etiam epithymo. Illud enim quod vulgo in vsu est epithymbra est, quod in thymbra, quæ thymi nomine usurpatur, crescat. Hac autem hodie veri epithymi loco vti possumus: nam easdem facultates habet, aliquantò tamen debiliores. Quod ex Creta adfertur, epithymbra etiā videtur, epithymum enim non est, tametsi nostrate melior.

Esula, Græcis tithymalus dicitur. Sed veluti esula nomine tres plantæ intelliguntur, maior videlicet, minor, & rotunda: Sic etiā tithymali genera septem à Dioscoride alijsque pluribus describuntur. Esula maiore pyrifera Dioscoridis intelligenda est, & alscebram maius mesua: Esula minore, tithymalus cyparissias & alscebram minus: Esula rotunda, peplos: quæ omnes plantæ hodie sunt cognitæ. Cognoscendæ sunt etiam reliquæ tithymali species, præsertim characias, qui reliquis præferebatur, & Græcis erat in vsu. Hodie cognitus est, quemadmodū & reliqua tithymalorum genera, his præsertim qui in his inuestigandis diligentiam aliquam adhibet: Nam omnes

in

L I B E R P R I M V S

in Hetruria reperiuntur. Eorum descriptio, cùm sit  
admodum prolixa, ex Dioscoride petenda est.

Eupatorium Græcorum, vulgaris agrimonie est. Eupatorium Auicennæ id esse creditur quod vulgo eupatorium appellant, folijs cannabis sylvestris, & secundum aquas crescit: vulgo nota est. Eupatorium Mesuæ herba est amara, quibusdam camphorata, alijs herba giulia dicta, quæ Dioscoridis ageratum putatur. Cùm itaque omnes hæ plantæ eupatorium appellentur, animaduertendum est ne indifferenter altera pro altera usurpetur: Sed in Græcis compositionibus, agrimonie vsus est: In Auicenneis, Auicennæ: In Mesuæis, Mesuæ eupatorium usurpandum est: singuli enim suo eupatorio peculiares ac diuersas facultates tribuunt.

Euphorbium est succus ex arbore ferulae simili emanans. Duo eius genera Dioscoridi. Vnum sarcocolla modo emicans, in granula concretum orobi magnitudine. Alterum veluti fax quædam est, imbecillus. Adulteratur sarcocolla & gummi Arabici mistione, sed difficile experimentum, quod leui gustu os accensum diu detineat. Eligendum translucens. Recentia, quia viribus est violentis, non vtendum, sed annotino. Annis quatuor integrū seruari potest cum milio, fabis, aut lentibus ne elangescat: quinto enim vel sexto anno vis eius exoluitur. Cæterum cùm plerunque contingat ut ad nos magis aduehatur veru state corruptum, quam recens; maior cura in eo adhibenda est.

Fel omne sumendum est ab animalibus mediæ etatis, quæ neque famem, neque sitim passa, neque exercitio nimium defatigata sint, neque iræ nimiū indulserint. Detractum à iecore, & præligatis filo vijs quibus & admittitur & egreditur bilis, in feruentem aquam deimititur aliquato tempore, mox exemptum siccatur loco sicco, & reconditur. Siccatur etiam camino

mino suspensum nec aquæ feruenti demissum : Interdum eo utimur recenti iam primùm ab animali exempto, veluti felle gallorum, perdicum, piscium, & similiū quæ facile comparari possunt, nec magno constant.

Flos æris grana quædam minutissima sunt panici effigie, rubentia æris modo, quæ exilunt ac erūpunt, quando æs percola funditur, & aqua pura & frigidissima affunditur. Facile reperiri potest in ærarijs officinis. Optimus est friabilis, in attritu fulvescēs, milij effigie, breuis, ponderosus, modicè splendens, gaster adstringens, qui delimatam æris scobem nō recepit, qua sepe adulteratur : Sed id facile depræhenditur dentium allisso, scobs enim non atteritur, sed dilatatur.

**G A L A N G A** radix est nodulis scatens, intus & foris rubra, per internodia cōtorta, odorata, & acerimia saporis, odore & figura quadam cyperi, vnde quibusdam cyperus Babylonicus putatur. Eligenda grauis, rubra, sapore acerimo linguam vellicans. Adulteratur cyperi vulgaris radicibus repurgatis, & in aceto cum pipere maceratis : sed abrafo cortice fusus depræhenditur, nam pars interior neque galagæ acrimoniam neque saporem habet.

Galbanum ferulæ liquor est, vulgo notū est. Laudatur multis granulis constans, merum, thuris effigiem præbens, pingue, non lignosum, retinens non-nihil feminis è sua ferula, graue odore, neque humidum neq; aridum. Adulteratur resina, fabæ farina, & ammoniaco : quod ex notis iā dictis depræhenditur.

Gummi elemi quibusdam cedri lachryma est, aut oleæ Aethiopicæ, aut arboris ignotæ. Laudatur quæ resinosa est, stillis exilibus constans, leuis, valido odore & sapore.

**H A R M E I.** Græcis harmala dicta, rutæ genus est Dioscoridi descriptum in ruta Galatica. Quibusdam

L I B E R P R I M V S

dam dictamnum album vulgare creditur: non conuenit tamen illi semen subrufum & triagulare. Hanc ob causam eius succedaneo utimur, donec praestantius aliud reperiatur.

Hermodactylus radix est officinis nota. Variæ sunt opiniones cuiusnam plantæ radix sit à veteribus descriptæ. Verisimilior tamen eorum est sententia, qui colchici radicem esse existimant, tametsi Diosc. venenosam esse affirmet: nam medicamentorum purgantiū magna pars ferè est eiusmodi. Hermodactylum unum idemq; esse & Græcis & Arabibus credimus: itaque huius nostræ radicis facultatibus freti, ea vtemur hermodactyli veterū loco. Probatur candidus, corpulentus, plenus, grauis, non cariosus.

Hypocistis plantula est cisti radicibus adnascens, sine folijs, floris punici similitudine antequam explicetur, multis capitulis aut tuberculis constans rotundis, femini plantæ ab Italîs Grano d'India vocatae similibus, candidis, herbaceis, aut rufis. Præfetur subrufa. Ex hypocistide liquor exprimitur præparaturq; vt postea dicemus. Animaduertendum est ne hypocistidis loco, colligatur planta aliquantulum ei simili, quæ vulgo cauda leonis vocatur, est enim orobanche Dioscoridis.

Hyssopum Græcorum herba est folijs & floribus origano similibus, hodie incognitum. Hyssopū mesuæ domesticum, est Hyssopum vulgare quod in horis colitur. Sylvestre nascitur in móribus, thymumq; vulgare est. Vtrumq; thymbræ species est, & hyssopo substitui potest, præfertim sylvestre, thymū dictum.

I E C V R Lupi, cæterorumque animalium, sumi debet ex ipsis animalibus nondum adultis, vinoque odorato lauari: deinde vasi impositum, furnoq; probè siccatum, sed non exustum, vasis vitratis reponitur absinthio sicco inuolutum, ne putrefaciat.

L A C C A Arabum, Græcis cancamum dictum  
hodie

hodie nō reperitur: ideoq; eius succedaneo vtendū,

Ladanum liquor est, ex alterius cisthi ledon appellati folijs exsudans. Hodie & liquor & planta nota sunt. Optimum, minimeque adulteratum, odoratum esse debet, subuinride, facile mollescens, pingue, resinosum, arenularum aliarumq; sordium expers, quale in Cypro gignitur.

Lapis armenius, Italis verdazuro, quasi viride cæruleum dicas, tametsi ex Armenia nō aduehatur: multi tamen existimant, eo qui ex Germania adfertur, vti nos posse, eo delecto qui est laevis colore, cæruleo, perquam æquabilis, & friabilis. Sed cum nec eius magna sit copia, eius loco lapidē lazuli usurpabim⁹.

Lapis lazuli, quem Græci cyaneum, Itali azuro ultramarino, hoc est, cæruleum transmarinum appellant, lapis est cærulei coloris, qui in ærarijs, argentijs & aurarijs venis reperitur. Optimus est qui in aurarijs oritur, saturi coloris, maculas quafdam aureas stellarum modo radiantes habens, qualis is esse solet ē quo fit color ille cæruleus. Huius usus esse debet, magna cura adhibita, ne factitij pro eo sumantur; hos enim Pictoribus relinquere debemus, natuq; vti, postquam bene lotus erit vt dicemus.

Leuisticum, quod Dioscorides ligusticum, Galenus libisticum nominat, quamuis pleraque plantæ multis partibus sint similes: nulla tamē adhuc reperta est, quæ eius omnibus notis respondeat. Itaque eius succedaneum cum reliquis vide.

Lignum aloës, Dioscoridi agallochum nominatum, lignum est quod ex India atque Arabia deportatur, varium, maculatum, odoratum, gustu adstringens cum quodam amarore; cortex eius corio similis, colore aliquantulum versicolore. Arabibus præfertur id quod ex India adfertur, crassum, nigrum, varium, solidū, graue, sine candore, & quod ignibus impositum diu perdurat.

C Lignum

Lignum guaiacum , quod nonnullis lignum sanctum dicitur, ebeni genus esse creditur . Optimū est graue, densum, interiore parte nigra , exteriore & illam ambiente subflava: cortice leui, firmiter hærente, ligni scobe, si manibus comprimatur, simul cohærente, (quod pinguedinis eius indiciū est) quod deinde in sua decoctione multum odorem, saporem atque colorem relinquit: magnitudo autem aut paritas fragmentorum non sunt tam magni momenti, quam notæ suprà dictæ: sed in hac parte mediocritas laudari potest. Aduertendum est cortice nos vti seorsim, quem plerunque fraxini cortice adulterari contingit, aut similibus , qui tamen dignoscuntur sapore & odore quodam peculiari.

Lithargyros lapis est è plumbo factus ; plumbum enim dum secunda fornace excoquitur aut solum, aut metallo aliquo permistū , partim in lithargyron, partim in plumbaginem vertitur . Duo sunt eius genera: vnum colore aureo: alterum argenteo : quò fit vt illud lithargyros auri, hoc lithargyros argenti nominetur. Inde verò hæc differentia nata est, quòd alterum altero maiores vim ignis passum sit . Lithargyrium auri præfertur: hodie notissimum.

M A C I S nucis moschatæ exterior cortex est, in quo nux latet, quemadmodum auellana in suo putamine. Præfertur crassum, plenum, odoratum , sapore subacri , hodie notum.

Manna ros est, qui ex aëre in arbores, herbas, lapi des, terramque decidens, densatur & cogitur in grana minuta. Præfertur calabra, præfertim quæ ex folijs arborum collecta est, quæ ex hoc dignoscitur , quod grano constet exiguo, translucente, graui, similis mastiches granulis, candidis , & gustu dulcibus & suauibus. Secundum locum obtinet quæ è ramis colligitur; Tertium quæ in lapidibus. Hæ crassiores sunt , & minus synceres, colore turbido . Syriaca si sit perfectè

gra-

granulata mastichæque assimilis, valde etiam probatur, dulcis, & recens. Cum iam exoleuit; floccorum bombacis refert imaginem, leuis concavaque est. Adulteratur amyli farina, rebusque similibus: sed maleficium facile depræhenditur. Insuper & ea quæ simul concreuit, saccharo & sena adulterata esse solet, ac croco, carthamiue flore tineta: verum gustu depræhenditur.

Manna thuris, sunt minutissimæ thuris micæ. Laudatur alba, pura, micarumq; frequentia prædita. Sunt qui cibrata pini resina, ac polline, aut cortice thuris contusi adulterant: sed hæc igne depræhenduntur, nam adulterata non æqualiter flagrat incensa, nec ærium vaporem, sed fuliginosum & impurum expuit, variumque odorem habet. Hodie minutissimæ thuris micæ sunt in vsu.

Marum, maiorana nobilior esse creditur, videturq; ea mari loco substitui debere.

Mastiche lentiscina resina est. Prefertur resplendescens nitedulæ modo, & candore Hetruricæ ceræ similis, crassa, retorrida, odorata, friabilis; viridis inferior est. Adulteratur thuris resinæque pineæ nucis mistura.

Medulla ex florenti animali sumenda est, vt in adipe demonstrauimus. Colligitur a statis exitu, hyemis initio. Duo eius genera; Medulla ex ossibus: altera è spina, quæ multum inter se differunt, ideoque singula seorsim reponendæ. Præparatur reponiturq; eodem quo in adipe diximus modo.

Mel optimum flaviuum, odore & sapore iucundo, acre, purum, syncerum, totum pellucens, tam fibi cohaerens vt continuitatè suam quasi linea longissima non intercicum seruet, si digito attollitur.

Melilotis flore est luteo, colore vicino croco, odo rato. Laudatissima folijs cōstat minutissimis pinguis finisque: semen in siliquis teretibus profert rarum,

C 2 rotun-

## LIBER PRIMVS

rotundum, sinapi minus, colore luteo. Ex his manifestum est, eam quae hodie in visu est, non esse verâ melilotum, non enim est odorata: nisi ex eius genere sit, quae in Cappania nascitur, odore infirmo, ut ait Diosc. Diligentia itaque adhibenda est ut vera habeatur. Hanc nonnulli trifolium illud esse arbitrantur, quod locis motosis, sterili solo, ad meridiem spectante nascitur: folijs ciceri similibus, minoribus, maculis quibusdam stellarum modo distinctis: flore luteo fulvescente: semen exili siliqua, in cuspidem desinente, flauum continetur. Tota planta grauiissimo est odore, theriacæ proximo, quam Hetruriæ incolæ herba bachaia appellant, quod ea infantium vermes enecant.

Meum anetho caule & folijs simile, sed eo crassius, binum plerunque cubitorum altitudine attollitur; sparsis in obliquum profundumque radicibus, longis, odoratis, tenuibus, linguam excalcentibus. In altissimis Hetruriæ montibus hodie planta quædam reperitur planè cum hac descriptione conueniens. Quâ ob causam diligitæ Pharmacopœia hanc nosse discant, vulgarique meo uti desinant. Quid verò, si reperiri non possit, substitui debeat, in succedaneis dicemus.

Mezereon, aut Dioscoridis thymelæa, quo nomine aliqui etiam chamælam complectuntur: utraq; nota est. Prior folijs & frutice lini aut linariae similitudinem refert: Chamælea folia oleum habet, verù minora.

Moschus excrementum est cuiusdam animalis, certo anni tempore circa eius umbilicum veluti in tumorem quendam cōcretum. Melior est Orientalis, subflavus. Adulteratur quemadmodum & cætera quæ rara sunt: sed ex colore, odore & sapore dignoscitur, præterea etiam & pondere; nam multa admiscentur in eo adulterando. Verum cui syncerum & verum experientia cognitum est, ex his notis facile fucum deprehendet.

Mumia

Mumia Arabum, compositio quædam est ex aloë, myrrha, croco, & balsamo, qua cadauera condiebāt, deinde aliquantulo post tempore ex sepulchris eximebant, cum sanie quæ ex cadauere exudauerat, serubabantque in visum medicum. Sed quia pice & bitumine corpora condiri etiam solebant: easdem illi facultates tribuunt quas Diſ. piſſaphaltō, idemq; efficere dicunt quod permixtum pici bitumen. Quod si verum est, cūm neque veram mumiam, neq; Diſc. piſſaphaltum habeamus, arte conſlari potest ex pice bitumini permīſta, vt in bitumine dictum est.

Muscus arborum, quem vulgo vſneam appellant, lanugo ſicca eſt, in queru, abiete, larice, multisque alijs arboribus naſcēs. Optimus eſt candidus & odo-ratus. Laudatur cedrinus, proximè populneus: Reliquis verò præfertur odoratus, albus, vt iam diximus.

Myrobalani Arabum differunt à myrobalano, hoc eſt nuce vnguentaria Diſcoridis, quam vulgus Ben appellat. Quinque generibus diſtinguitur, videlicet in Citrinas ſeu flauas, Chebulas, Indas, Emblicas & bellericas.

Citrinæ laudantur multūm flauæ, in viride inclinan-tes, densæ, graues, gummoſæ, cortice crasso os par-uum complectente.

Cepule ſive chebulæ quo maiores eo meliores, ni-græ, in rubrum inclinantes, graues, quæ aquæ imposi-tæ ſtatim merguntur, cortice crasso.

Indæ optimæ ſunt nigre, ſubstantia ſolida ſi frangan-tur, densæ, magnæ, graues ſine oſſibus.

Emblicæ ſint magnæ, graues, densæ, carne multa, oſſibus exiguis.

Bellerica verò densæ, magnæ, graues, & cortice craſſo. Queſ his notis carent, aut vetuſtate exoticæ ſunt, aut aliud incommodum paſſæ ſunt.

Myrrha Arabicæ arboris lachryma eſt. Huic tamē non quadrent omnes notæ à Diſcoride de-

C 3 scriptæ,

L I B E R P R I M U S

scriptæ, cùm tamen multis sit prædita bonis qualitatibus, existimant nonnulli pro vera posse usurpari. Eligenda est pinguis, resinosa, rubescens, denia, & splendens. Sunt qui affirment storacem liquidā, qua officinæ vtuntur, stillatitum myrrhæ liquorem esse, qui stacte veteribus dicebatur. Quod nullo modo conuenit: nam storax liquida factitium potius quidam videtur, cuius nullus vsus pro myrrhæ stacte esse debet. Quod verò de opocalpa scribit Galenus, quod myrrhæ similitudinem gerat, sed venenosum & exitiale sit, multosq; sua ætate mortuos esse, quod in medicamétis opocalpasum pro myrrha assumpfissent, nemini nostra ætate cōtingisse audiuiimus. Quod magnum argumentum est, nos vera myrrha carere.

N I G E L L A , quam Diſcorides gith aut melanthium nominat, herbula est exilibus furculis fruticans, binos dodrantes aut amplius altis; folijs minutis, aliquantulum ad senencionis similitudinem accedentibus, sed multò tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, paruo, ceu papaueris, oblongo, intercurfantibus intus membranis, quibus semen includitur nigrum, acre, odoratum. Qua hodie vtuntur nigella, non est verum melanthium, sed cumini forte sylvestris apud Diſcoridem genus. Verùm hodie reperitur, sed non paſsim, itaque adhibenda est diligentia. Melanthij genus est, quod vulgo cardamomum minus creditur, nigellaque citrina vocatur, quæ, præter colorem, omnino cù melanthio suprà descripto conuenit: eius itaque vsus esse poterit veri melanthij loco, potius quam vulgari nigella, quæ non est odorata, vt vera esse debet.

Nitri apud veteres multæ erant differentiæ, natuum, factitium, & aphronitrū, quod veluti nitri flos erat. Hodie vnicum habemus nitri genus, nempè boracem non excoctam, quæ quibusdam nitrum fossile est, eoquæ nitri loco vti possumus.

Salnitri

Salnitri , tametsi proximè ad nitri naturam accedat, nullus tamen eius in medicina usus esse potest, præfertim in his quæ intrò assumuntur . Nitri in succedaneis etiam fiet mentio .

Nux moschata, arboris Indicæ fructus est, persice arbori (vt scribit) similis. In hac enim nux moschata nascitur maci suo inuoluta, veluti auellana membrana illa sua exteriori . Macis inuolucro tegitur, quemadmodum & in alijs nucibus, putamē durum, quod in se nucem moschatam continet qua vitimur. Eligenda est recens, non exesa , grauis , succi plena, oleosa, odorata.

OE S Y P V S est succidarum lanarum pinguitudo, quam vulgo hyssopum humidā appellant: Cuius parandi ratio hæc est.

Succidæ lanæ molles è collo feminibusque aqua feruente macerantur , in eaque lauantur donec sordibus bene expressis, purgatae extrahuntur, deinde aqua magno impetu lignea rude agitatur, aut vasculo excepta in aliam ex alto infunditur, quo largius sordida spuma supernatet, qua dissoluta, pingue supernans aquę, excipitur: rursus aqua agitatur, pingueque excipitur: & hoc deinceps tantisper fieri debet, dum consumpta pinguitudine, nihil prorsus spuma extet. Collecta pinguitudo agitatur & aqua pura respergitur, perpetuoque ad Solem manibus miscetur, donec candida spectetur , & aquam non amplius inficiat, tum in fictili vase denso & bene cocto reconditur, & in cella locoue frigidio reponitur.

Opopanax succus est effluens ex incisa radice aut caule panacis quod Dioscoridi heracleum dicitur. Hodie cognita est planta & ipse succus, qui maximè probatur, quam amarissimus, internè albus, aut subfulvus, foris colore croci, lauis, pinguis, friabilis, tener, statim in aqua eliquescens , graui odore : Niger improbat ac mollis . Adulteratur ammoniaco, aut

C 4 cera:

L I B E R P R I M V S

cera: sed synceri experimenum est , si digitis in aqua  
friatus refoluatur & lactescat.

Opiū succus est è capitibus papaueris nigri. Duūm  
est generum, vnum ex capitibus & folijs exp̄ressum,  
Gr̄cis meconium vocatur; illud ignauius. Alterum  
ex capitibus paululum incisis exstillans , verum est  
opium. Optimum est densūm, graue, amarum, odo-  
ratu soperiferum, quod facile aqua dissoluitur, l̄aeue,  
candidum, neque asperum, neque grumosum , quod  
colatum non statim ut cera coēat, quod in Sole dif-  
fundatur, & admotum lucernis, clara luceat flamma,  
& extinctum odoris vim cōseruet. Adulteratur glau-  
cio, hoc est nemitha, aut gummi, aut syluestris lactu-  
cæ succo. Verūm glaucio fucatum in dilutione croci  
colorem reddit; lactucaceo succo depraauatum, ino-  
dorūm est, & alperius: gummi vitiatum, infirmū est,  
& splendescit. Nec desunt qui adipem admisceant.

Organum Dioscoridi trium est generum , hera-  
cleoticum, onitis, & sylvestre: Quorum postremum  
copiosè in nostris maritimis nascitur : Reliqua duo  
cognita quidem sunt, sed rara. Tragorganum est in-  
cognitum. Quod hodie in vsu est, ad nullum origani  
genus referri potest : primū quod in maritimis na-  
scatur, vbi duntaxat cætera crescunt origana ; deinde  
quod gustatum, linguam non vellicat vt reliqua ori-  
gana. Adulterinum igitur erit organū , quia reliquis  
notis ita cum origano conuenit , vt gustu solo ferē  
distingui possit. Dāda est opera vt legitimū habeatur,  
atque hoc reiiciendum. Verūm hodie ex Creta co-  
piosè Venetas adfertur.

Orobus , siue eruum , illud est quod in Hetruria  
moco vocatur, vulgoque, cūm sit notissimum, feri-  
tur. Hoc itaque vtendum, non alio. Aliud supradicto  
simile Creta adfertur orobus illic nominatum , hoc  
nonnulli verū esse existimant: folijs est phasioli vul-  
garis, sed angustioribus , & minoribus : semine sub-  
flavo:

**flavo**: quod cū difficile reperiatur supradicto vten-  
dum est.

**P A P A V E R I S** apud Dioscoridem sex sunt genera. Primum sylvestre rhēas diētum omnibus no-  
tum. Alterum, candidum, capitibus oblongis, «candi-  
dis, semine albo: hoc etiam notum. Tertiū & Quar-  
tum, nigrum, è quibus colligitur opium: semine ni-  
gro; utrumque Dioscoride papauer sylvestre etiam  
dicitur: & illud notum est. Quintum papauer corniculatum, sic diētum, quod caput non proferat, sed  
siliquam oblongam & rotundam in corniculi mo-  
dum, florem luteum, vulgo notum. Sextum papauer  
spumeum vocatur, hoc incognitum est. Quoties pa-  
paueris simpliciter & sine adiectione mentio fit, sem  
per domesticum, hoc est album intelligendum est.

Piper arbusculæ in India nascētis fructus est: quæ  
inter initia vt ait Diosc. prælongum fructum veluti  
siliquam, quod piper longum vocamus, profert; ha-  
bet intus aliquid tenui milio simile, quod dehiscen-  
tibus siliquis racemorum in modum prodit. Eorum  
grana acerba candidum piper vocantur: matura ve-  
rō, piper nigrum. Qui verò in Indiam nauigarunt.  
piperisqué plantām viderunt, piper in planta bryo-  
niæ simili nasci afferunt, diuersisque ex plantis lon-  
gum & rotundum colligi. Nihil tamen interest. Ni-  
grum eligi debet recens, grauissimum, plenum. Can-  
didum præfertur, non rugosum, candidum, & graue.  
Longum optimum, quod, dum frangitur, solidum  
intus conspicitur & compactum, gustu acerrimo lin-  
guamq; mordens. Adulteratur longum herba simili:  
sed fucus deprehēditur, si in aquam immittatur; nam  
adulterinū liquefcit, legitimū verò solidū manet.

Pix è lignis pinguibus & resinosis fluit, præsertim  
è pino. Quibusdam tamen in locis, propter pini pe-  
nuriam, ex picea, cedro, terebintho, ceterisque simi-  
libus cōgregatur eo quem infrā dicemus modo. Pix

C 5 naualis

naualis vulgo vocatur, estque duorum generum. Liquidus & sicca. Liquida duorum item est generum. Una quæ primùm effluit, aquæ perquam similis, qua in Syria vtuntur in condiendis corporibus, & cedriam appellant, quod ex cedro fiat: nam pinos non habent. Altera, secundus est qui effluit liquor, qui vasculis collectus densatur acetō, sicque coactus, pix brutia appellatur, in hoc solūm à priori differens, quod concreta sit, colore fusco, & pinguor: hac picabantur vtris vinarij. Pix arida, fit è liquida iterū cocta, huius sunt itidem duo genera: unum quod visci modo lentescit; alterum siccum & friabile. Præter hæc, aliud quoddam genus reperitur, quod pisselæon appellat: exprimitur ex lana qua excepti sunt vapores elati sursum quamdiu pix coquitur. Præfertur quod ex pice brutia fit. Aliud picis genus zopissam vocabant ex derafa nauibus resina & cera conflatam. Omnes hæ picis differentiae reperiuntur. Liquida præfertur splendens, lauis, syncera. Sicca probatur pura, pinguis, odorata, subrufa, & resinosa. Improbatur adusta, fumū redolens, & acida. Probatur verò ea, cuius fragmēta splendent, quæ dentibus pressa lentescit, & gustu est suauis.

Pix græca pini alteriusue arboris resina est, aqua cocta, donec perditio nativo odore, friabilis & arida reddatur: hæc colophonia vocatur, quod è Colophone adueheretur. Per colophoniam igitur semper pix græca intelligenda est, non quod resina incocta non etiam colophonia vocetur, sed quod in Medico usu huiusmodi resinis non utimur nisi coctis, aut raro admodum, præfertim cum liquidæ sunt.

Propolis in alueariorum foribus & rimis, cerosæ naturæ reperiuntur, eligi debet flava, odorata, styracem referens, mollis, & mastiches more ductilis.

Pulmones animaliū recentes & siccii usurpantur. Sumentur ex animalibns pinguis & robustis. Siccantur

Cantur exempta aspera arteria in vase figulino imposta clibano, & refrigerati, folijsque absinthij siccii involuti reponuntur, ut de iecore dictum est.

**R E S I N A** liquor est ex pinu, picea, abiete, alijsque similibus sponte profluens. Eius duplex est differentia. Una liquida, veluti terebinthina ex terebintho, larigna è larice, quæ vulgaris Italæ est terebinthina: nam eius quæ è terebintho profluit copiam non habemus. Altera arida, ut quæ ex pinu exit & è fructu arborum resiniferarum, thuri similis. Ex liquidis terebinthina resinas omnes antecedit, candida, perlucida, vitreo colore & in cæruleum vergente, odorata, terebinthum olens. In huius locum succedit, ut dictum est, larigna, quæ mellis colore & odore esse debet. Ex aridarum genere eligi debet odoratissima, translucens, non retorrida, neque nimium humida, friabilis, & quandam ceræ colorem præbens. Improbatur rubra, & dealbata. Ex his resinæ è picea & abiete ceteræ antecedunt, & thus odore imitantur. Omnes haæ resinæ uno nomine pix græca vocantur, de qua superius.

Rha barbarum radix est inæqualiter crassa, nō admodum longa, rheo pontico perquam similis colore & substantia. Eius tres sunt differentiae. Vnum Indicum, omnium præstantissimum: Alterum Barbarum, secundum locum obtinens: Tertium Turcicum omnium ignauissimum. Laudatur subnigrum in rubrum inclinans, recens, graue pro raritate sua, confractum, ex rufo & glauco alternans, & croci modo tingens. Adulteratur, si aliquot diebus in aqua maceratur, ut facultas eximatur: fucus vero depræhenditur si in confracto ea varietas, quæ suprà dicta est, non conspicitur, nec croci modo tingit, sed leuius est, & magis adstringit.

Rha ponticum, quod vulgo rheuponticum dicitur, radix est nigra, centaurio magno similis, sed minor

L I B E R P R I M V S

nor & rufior , sine odore , fungosa , leuis; quæ trita , manducataque colorem reddit pallidum, ad crocum inclinantem, à rhabarbaro duntaxat (vt nonnulli putant) solo loco in quo nascitur differens : nam rheum barbarum ex regione Meridionali aduehitur , rheum verò ponticum ex Septentrionali . Adhæc rheum ponticum radice constat longa & tenui: rhabarbarū autem crassā & breui. Aliorū præterea opinio est, eam plantam quæ hodie in hortis seritur rumici simili, quæque rhabarbarum existimata est , verum esse rhabonticum ; seseq; expertos afferunt easdem quas rhabarbarum habere facultates, si detur dupla quantitate. Adfertur ad nos verum rhabonticum, non est autem ea quam suprà centauriū maius esse diximus. Optimum habetur quod teredines non sensit, quod gustatu cum remissa adstrictione lentescat. A dulteratur decoctione: dignoscitur verò quod partes externæ non sint dense & compactæ, verùm rara substantia, & gustu nihil, aut minimum adstringens.

Ribes rubescens fruticat ramis , ad viride inclinantibus, teneris, sapore cum aliquantula aciditate dulci: folijs rotundis, latis & magnis: acinis gustu acidis. Ribes quo hodie vtuntur, tametsi omnes iā dictæ note illi quadrare non videantur; id tamen verò substitui posse existimamus.

Rubrica, sinopis Dioscoridi dicta, quod in Sinope vrbe venderetur, terra rubra est. Hodie ad nos ex plerisque alijs locis aduehitur sub boli armeni nomine, cuius suprà in bolo meminimus . Maximè probatur ex Dioscoridis sententia, grauis, densa , ad iecinoris imaginem vergens, calculorum expers, cōcolor, cùm dissoluitur admodum fusilis. Bolum autem intelligimus nostratem.

Rubrica, qua hodie fabri vtuntur , aliud rubricæ genus est, fitque ex ochra cocta.

S A L , nativus est & factitius. Nativus vel in ter-

ra,

ta, vel ad mare ex aqua marina, vel in lacubus, vel in fluminibus, aut in fontibus. Natiui (quāuis variæ sint differentiæ, diuersisq[ue] locis reperiantur) in usum tamē medicum tres recepti sunt, videlicet sal ammoniacus, vulgo armeniacus dictus, sal gemmæ, & sal Indus. Ex his verò salem gemmæ duntaxat habemus, candidum, translucentem crystalli modo, estq[ue] sal fossilis. Sal armeniacus hodie dictus, nō est nativus, sed factius.

Ex eorū genere qui sponte in aquis generantur multæ sunt differentiæ. Qui in mari nascitur, & in scopulis reperitur ex spuma maris conflatus, spuma salis appellatur. Qui in Iudeæ lacu dignitur, in quo & asphaltus nascitur, sodomeus vocatur, ab Arabibus sal naphthicus, amarus est. Hoc caremus, quemadmodum & reliquis nativis in lacubus aut fluminibus repertis.

Factitiorum varia sunt genera, secundum materiam ex qua sunt differentia. Nam alijs ex aquis salis generantur, veluti marinus, & qui ex fontibus sunt, ut sal cōmuni. Alij ex cineribus, aliaue materia, quemadmodum sal alcali, qui fit ex herba cali, ex qua etiā soda appellata conficitur; & vulgaris armeniacus qui in Alexandria fit in balneis.

Ceterū hodie pro efficacissimo in medicina sale gemmæ vtimur, qui fossilis est ut diximus, & in Germania alijsq[ue] locis eruitur. Præfertur deinde marinus. omnium infirmissimus est vulgaris.

Saccharum candi tametsi Auicenna interdum salem Indum appetet, inter sales tamen referendus non videtur.

Is præterea quē Dioscorides salis florem, aut rectius maris florem nominat, sali multum dissimilis est, nihil enim aliud est quam pinguedo quædam crocei coloris mari, Nylo & alijs lacubus innatās: eo tamen hodie etiam caremus.

Qui

L I B E R P R I M V S

Qui propriè flos salis dicitur, in salis fodinis reperiatur, & in ipsis etiam salignis velut pollen quidā crassiorem salē ambiēs: tenuiorum multo est partium quā sal, colore candidissimo, interdum cinereo, qui inferior est.

Sandaracha lapis est in metallicis venis, plerunq; cum auripigmento nascens, rufa est, cinnabaris colore, non nihil ad luteum vergens, quæ cùm vritur, suum exhalat pallidum, sulphurisque virus redolet, tametsi non consumatur. Facilè hodie legitima haberi potest: factitia tamen etiam fieri potest, si auripigmentum coquatur, donec cinnabaris colorē contrahat, potestque veræ sandarachæ loco substitui. Sed animaduertendum est sandarachæ vocabulo apud Arabes vernicem intelligi, quæ nihil aliud est quā gummi iuniperi, non autem prædictum lapidem. Itaque curam adhibeant Medici ne altera alterius loco indifferenter vtantur.

Sāguis, cuius in medicina usus, ex multis animalibus colligitur dum adhuc ætate florēti sunt. Sanguis Hircinus in hunc modum paratur. Maturecente vua Hircus quadrimus, bene habit<sup>o</sup>, iugulatur, mediusq; effluens sanguis fistili bene cocto excipitur: (nam primus tenuior, postremus crassior putatur) deinde coctus in aqua donec concrescat, arundine fissa secatur obliquè & transuersim, vt quod in eo aqueum est effluat, deinde linteo raro tectus Soli exponitur atque ita siccatur; curandū interea ne pluvijs aspergatur: deinde trit<sup>o</sup> vase vitro, aut fistili vitrato bene obturato reponitur. Alij Hircū, dieb<sup>o</sup> canicularibus, herbis calculum frangentibus nutrīunt & vino albo odorato, donec vrina nigrescat, deinde iugulant, & in eum quem suprà diximus modum præparant. Hoc præparationis genus eti inutile non videatur, nec escharium tamen non est, cùm apud Græcos sanguinis Hirci non eo modo nutriti, etiam usus fuerit: sed medicamenta

dicamenta calculum frangentia admiscebantur.

Sanguis Draconis, qui magno in vsu est, cinnabaris Dioscoridis esse creditur; an verò metallicū quidam sit, an aliud simile, nihil certi ex veteribus elicerem possumus. Plerique recentiorum gummi esse arbitrantur, ex arbore sui generis stillans, ut terebinthina nostra vulgaris ex larice: colore est intentè rubro ut sanguis videatur, transparens, friabilis; vulgo sanguinis draconis lachryma vocatur, ad eius differentiam qui pro sanguine draconis venditur, adulterinusque est, eamque ob causam rejeciendus. Sunt qui sanguinem draconis, achilleæ syderitidis succum defecatum siccatumque esse putent, cuius rei nullam habemus certitudinem: posset tamén sanguini draconis substitui, cùm sit proximarum ei facultatum.

Sarcocolla lachryma est arboris in Perside nascentis, pollini thuris similis, colore cādido aut rufo, gustu amaro: Præfertur rufa, gustu amarissima. Adulteratur gummi, sed gustu depræhenditur, adulterina enim amara non est.

Satyrij nomen apud Arabes omnibus orchios generibus commune est, eaq; distinguunt in testiculos canis & testiculos vulpis: per vulpinos intelligentes, que propriè à Græcis satyria vocantur, radice bulbosā, mali magnitudine, foris fulua, intus candida. Hodie testiculi canini pro vulpinis, Dioscoridisq; satyrio sunt in vsu: nam vero satyrio carere videmur: aut si habeamus, nondum tamen dignosci possunt inter tam multas testiculorum differentias, cùm omnes, si cum descriptione conferantur, testiculi canis videantur: eis pro vero satyrio vti nos posse arbitramur. Hodie noti sunt. Radix superior, quæ maior & plenior est, Venerem stimulare: inferior verò, quæ mollior ac rugosior est, inhibere creditur.

Scammonium stillatius liquor est plantæ Græcis scammoniæ dictæ. Laudatur nitidum, rarum, leue, colore

L I B E R P R I M U S

colore quam simillimum taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis. Addunt nonnulli, ut linguae tactu albescat: sed ut ait Dioscorides huic nota fidendum non est, hoc enim evenit adulterato, quod admisit titrymali lacte: hec autem nota longe certior est, nempe, si gustatu linguam non vrit, quemadmodum titrymalus. Adulteratur titrymali lacte & farina orobi, sed ex notis predictis dignoscitur.

Scordium planta chamaedry similis, hodie cognita. Huius in medicina usus esse debet, non allij syphilis.

Scoria, Latinis recrementum appellata, differt à squamma. Scoria autem illud est quod à vena metallica dum coquitur excidit, quodque vbi metallum in catinum defluxit, ab eo detrahitur. Scoria itaque veluti metalli spuma est, tametsi etiam ab eo detrahatur in secunda coctura, cum videlicet argentum ab ære alijsue metallis separatur. Prima scoria grauissima est, quia aliquid adhuc metalli admisisti habet, ideo secundò & tertio recoquitur, donec totū metallum exemptum sit, & scoria quæ subsidit leuissima est, & veluti spongia. Eximitur scoria ex venis auri, argenti, æris, plumbique candidi & nigri: Ex argenti verò viui, plumbiq; tertij generis, quod cinereo colore est, vena non detrahitur scoria: nam ex his prius effluit metallū, quā vena adeo cocta sit ut scoria fieri possit. Omnis scoria nitida esse debet nigroque colore, ea excepta, quæ fit vbi argentum ab ære separatur (hæc enim vario colore esse solet) & scoria plumbi nigri quæ ad luteum colorē accedit, & tenuis est, plerunq; vitri luteo colore tincti splendorem imitatur: tametsi etiam reperiatur plumbo nigro supernatans, quæ colore argenteo spectatur.

Scoria plumbea ea optima est teste Dioscoride, quæ ad luteum colorem accedit, & vitri splendorem imitatur, densa, fractu contumax, nihil plumbosum habens

bens, cerussam repræsentans. Diligens pharmaco-pœus scorias requirere debet ex officinis metallicis vbi metallica excoquuntur.

Serapintum, quod Græcis sagapenum nuncupatur, ferulaceæ herbe succus est. Optimum est translucēs, fuluo forinsecus colore, & intus albo, nescio quid inter laser & galbanum redolens, gustu acri. His adit Mesue ut sit spissum, & leue, odore porri, facilè in aqua resolubile, quia quod has notas nō habet, adulteratum alijs gummis censemur. Præstantius est quod ex Oriente aduehitur, quām quod aliunde.

Spica Celtica exigua planta est folia habens oblonga in extremo lata, florē luteum: ad radices multa exigua habet adnata spicis minutis similia: hæc cū radiculis, abiectis folijs, in vsu sunt & valde odorata. Adulterantur imposta herba simili: sed facilis cognitio; nam folia adnataque breuiora habet, candior est, neque amara, neque odorata vti vera celtica spica est. Laudatur maximè recens, iucundi odo-  
ris, radice numerosa cohærens, non fragilis, & plena.

Spica nardi teste Galeno radix est, non spica. Nota est. Eligitur syriaca dicta, cuius hæ sunt notæ, vt sit breui spica, largam gerens comam, colore flava, odo-  
rata, aliquātulum redolens cyperum, amaro sapore,  
linguam siccante, quæ diu in sua odoris gratia per-  
maneat. Adulteratur stibio cum aqua aut palmeo vi-  
no ponderis causa inspirato. Sed ex precedentibus  
notis dignoscitur. Madefacta etiam vendi solet: quod  
vitium ex eo depræhenditur, quod candida sit spica,  
squalida, nulloque puluere obsita.

Spodium in æris fornacibus inuenitur, vbi & pom-  
pholyx, quæ Arabum thutia est. Fiunt ex fauillis è  
metallo, dum coquitur, emicantibus, & specie diffe-  
runt: Nam spodium fit è partibus crassioribus, & in  
ærariarum officinarum paumentis reperitur, ideo  
multum terre colligit, & spurcitia refercitur. Pom-  
pholyx

D pholyx

L I B E R P R I M V S

pholyx fit è tenuissima fauilla quæ in altum euolat,  
et testo fornicique adhærens, aquarum bullis simile  
prodit, que per pluuias inter veris initia erumpunt,  
colore albo, quæ in tenuissimum pollinique similem  
puluerem dissoluuntur. Similes habent facultates;  
sed pompholyx tenuiorum est partiū. Hodie vtrumq;  
cognitum & facile ex Italia & Germania, vbi sunt  
ærariæ officinæ, haberí posset: sed his substitui pos-  
sunt Dioscoridis antispidia, aut officinarum thutia  
vt in succedaneis dicemus.

Spodium Auicennæ fit ex arundinis radicibus, eiusq;  
vſus est in ab Auicenna præscriptis medicamentis,  
nam antispidij genus est. Illud vero quod ex boum  
similiumque animalium cruribus confectionum offici-  
ne viupant, prestat rejcere, eiusque loco, aut Auicenna  
aut Dioſcoridis aliquo antispidij genere vt in  
his præfertim que intrò ſumenda ſunt medicamē-  
tis: in his vero quæ foris adhibentur, aut vero ſpo-  
dio, aut pompholyge, aut thutia officinarum præ-  
parata.

Squamma est quæ malleorum iictibus de metallis,  
dum adhuc cudent, excutitur: verum enim uero ex  
aere duntaxat & ferro decutitur squamma.

Aeris squamma eligenda est rufa aeris modo, crassa,  
aceti respersu æruginé contrahens, veluti ea est que  
ex aere rufo decutitur, & olim ex aere Cyprio. Im-  
probatur tenuis, inualida, candida aut nigra.

Stomoma ferri squama est ex ferro decidens dum  
aqua extinguitur ad eius indurationem aliamque ob-  
causam. Vtraque in fabrorum officinis reperitur.

Squinanthus, seu schoenæ anthos, id est iunci odo-  
rati flos, omnibus notum est. Eligendum rufum,  
intento colore, recens, tenue, rubentibus frag-  
mentis, quod manibus confricatum roſe odorem e-  
mittit, ignea mordacitatis ad linguam. Olim planta  
ipsa cum floribus aduehebatur, vnde schoenæ anthos  
nomen

nomen sumpfit; ideoque eligebatur floribus referum. Hodie tamen ad nos culmi duntaxat & radix adferuntur. Itaque cura adhibenda est, ne alij culmi his admisceantur, quod ex iam dictis notis depræhendi potest.

Storax hodie duorum est generum. Vnum storax calamita appellatur, Græcis simpliciter styrax. Alterum storax liquidus qui myrrhae flæte, quæ pinguisima myrrha pars est, plerisque esse creditur, hoc tamen falsum esse depræhenditur in eo qui in officinis est. Styrax calamita gumi est arboris malo cotoneæ similis. Prefertur flauus, crassus, resinofus, albicantis bus grumis, quæ plurimum in sua odoris gratia permanens, qui, dum mollitur, melleum liquorem reddit. Deterior niger, friabilis, & furfurosus. Adulteratur ligni ipsius scobe, melle, cera, adipe odoribus imbuto, & quibusdam alijs. Dignoscitur quod adulteratus inualido sit odore; syncerus vero admodum acer sit. Qui hodie officinis in vsu est, aliqua ex parte Dioscoridis descriptioni conuenit, eoq; vtendum arbitramur, donec melior proponatur.

T A M A R I N D I fructus sunt arboris, ut volunt nonnulli, ex palmarum genere. Eius folia ad hyperici folia multum accedere cōspecta sunt, etiam si à quibusdam salicis folia illi tribuatur. Fructus, cuius hodie vſus, notus est. Probantur colore ē nigro in rufum languescente, teneri, multis villis intertexti, recentes, pingues, non retorridi, ex dulcibus acidi, & vinoſo sapore. Adulterantur prunorum carne, sed in his nigredo est obscura, humentiores sunt, & prunorum odor & sapori illis ineſt. Seruantur in fictile vitratum coacti, loco frigido & ſiccо.

Terra ſigillata officinarū terra Lénia Diosc. & Galiei eſſe debebat: Hoc tempore duo terrarum genera Constantinopoli adferuntur, vna rubescens in placentalas quasdam exigua formata characteribus Turci-

D 2 cīs

## LIBER PRIMVS

cis signata: altera ex cinerito colore candicans, māioribus formata placentulis, characteribus itē signata Turcicis. Magno in pretio sunt apud Turcos, maximeque commendatur aduersus venena, neque facile earum copia haberi potest. Quæ Constantiopolim adferuntur, non ē Lemno, sed alijs ex locis multoque longius dissisit aduehuntur, itaque arbitrandum non est vllam ex iam dictis, terrā Lemniam esse. Rufa, quibusdam ē Lemno aduehi, veraque terra Lemnia esse creditur. Plerique bolum armeniam Orientalem veram esse terram Lemniam crediderunt. Sed nihil certi statuere possumus: magis tamē illi quadrare videntur terra Lemnię nota, quā duabus predictis. Reperta est etiā in Mēlita, terre quodam genus candidum, leue, quod à circunforaneis impostoribus vēditur aduersus venena efficax. Itaq; terra Lemnię loco commodè, aut bolus armenia ex Oriente petita, aut prædictarum aliqua sumi potest, tamē si Turcicę aduersus viperę morfus non admōdum efficaces sint, multoque minus quæ ex Melita adfertur. Verū si bolus armenia aduersus viperę morfus eam haberet vim quā terrę Lemnię tribuūt, terra Lemnia legitima sine controuersia esset, aut faltem illi securē substitui posset; & facilē esset experimentum quemadmodū de Turcicis terris in canibus à viperę demorfis periculum fecimus, nam quibus allium cum vino datum est, hi liberati sunt; quibus verò terrę suprà recitatę, hi mortui sunt, aut magna cum difficultate liberati.

Terrę sigillatę officinarum, cūm ne vna quidem nota Lemnię quadret, nullus v̄sus esse potest, nisi in ijs duntaxat medicamentis quæ foris adhibentur: hæc enim nihil præter manifestarum qualitatum operationem desiderant.

Thlaspi, herbula est Dioscoridi angustis folijs, digitali longitudine, in terram versis, subpinguis, in cacu-

ēacumine diuisis: diūm dodrantum cauliculo, renui,  
non sine adnascentibus ramis circa quos , folliculos  
quosdam in latius se pandentes, & compressos instar  
lentis, supremāq; parte fissos profert in quibus con-  
tinetur semen nasturtio simile: flos albicat . Hodie  
cognitum est, & quamuis in Hetruria rarum sit , fa-  
cile tamen aliunde aduehi potest. Dioscorides aliud  
thlaspi genus ex Crateua describit, latioribus folijs,  
radicibus maioribus. Hoc frequentius est, possitque  
prioris loco usurpari.

Thuris cortex, qui ex arbore thurifera detrahitur,  
prefertur pinguis, odoratus, recens, leuis, crassus, sine  
membranis. Adulteratur admisto pini aut nucis eius  
cortice : sed horū index ignis est: siquidē thuris cor-  
tex legitimus paulatim ardet, & cū odoris fragrantia  
vaporē eiaculatur: adulteratus verò nequaquam incē-  
ditur, sed totus in fumum sine odore consumitur.

Thymum apud nos non crescit . Planta quædam  
peregrina adfertur folijs exiguis, odoratis, flore pur-  
purascente, quæ proximè ad thymū accedit: Eius ve-  
rò cū in Hetruria copia non sit, vtemur succedaneo.

Trifolium, quod Græci oxytriphylon, aut asphal-  
tion appellant quōd bitumē redoleat , multas habet  
virgas tenues , cubitum aut amplius longas : folia  
magna , acuminata , terna singulis germinationibus  
exeuntia, quibus recenter enatis ruta odor inest, vbi  
autem adoleuerunt, bitumen olent: florem edit pur-  
pureū, semē latū, hirsutū, ex altera extremitate exer-  
tū corniculi modo: radix lōga, tenuis, dura. Copiosè  
nascitur circa Elbam & Petram tantam Hetruriæ:  
Huins usus esse debet non trifoliū pratenfis , quod à  
vero trifolio maximè differt à Græcis descripto.

Turbith plantę cuiusdam lacte manantis radix est.  
Hæc candida est, & alypi radix Dioscoridis esse cre-  
ditur; aut nigra, luteaūie, quam pityufam pleriq; esse  
arbitrantur . Verū, vtcunque sit . præfertur hodie

D 3                    candida

L I B E R P R I M V S

candida, quæ ex Syria adfertur, verumque turbith al-  
bum esse creditur, aut ei substitui posse. Præfertur va-  
cuum ut arundo, gummosum, cortice cinericio, pla-  
no, fractu facili. Adulteratur, inducto foris gummi  
dissoluto: sed fractum fraudem detegit, nam nullum  
gummi in fragmentis apparet.

Thutia officinarum, veterum cadmia est. Gignitur  
in fornacibus ærarijs fuligine flatu egesta, veluti spo-  
dium, & pôpholix, quæ vera est Arabum thutia. Cad-  
mia ex crassiore fit materia; quæ aut in sublime fer-  
tur, altioribusque fornacum locis infidet, vuarû mo-  
do concreta, botryitesque appellatur; aut ferreis vir-  
gis adhæret in hunc finem fornacibus applicatis: aut  
parietibus fornacum infidet, hæc placites nuncupat-  
tur. Hodie maiorem eius copiam habemus, quæ fer-  
reis virgis adhæret, quam aliarum duarum, tametsi  
plurima adulterata reperiatur ex lapide quodam tri-  
to, & cū aqua alioùe liquore, & sulphure in luti mo-  
dum coacto virginisq; inducto deinde cocto. Digno-  
scitur colore qui non est ita fuliginosus neq; ad cæ-  
ruleum vergens ut in vera: tum ipsis granulis aut  
corpusculis, quæ veluti in vera simul cohærente non  
conficiuntur: denique ipso pondere, nam vera & le-  
gitima multò grauior est adulterata.

Reperitur etiam aliud cadmiae genus lapidis simili-  
tudine in ærarijs fodinis teste Galeno, tametsi Diosc.  
neget; imò hodie adhuc reperiatur, hisque usq; est, qui  
auricalchum conficiunt. Melior est botryitis, quam  
rarò nostro hoc seculo videre contingit; aut quæ  
Alexandrina nuncupatur, hæc ea est quæ circum vir-  
gas aut rudes ferreas infidet, & modo iam dicto ab  
adulterata dignoscitur.

V A L E R I A N A, quæ secundum quosdā Diosc.  
phu appellatur, hodie nota est. Eius duo genera re-  
periuntur. vna domestica & maior in hortis scribitur;  
altera sylvestris & minor in agris sponte nascitur.

Maio-

Adulterata  
Thutia

Adulterata  
Botryitis

Maioris radix satis ad phu accedere creditur , eiusq; loco substitui posse . In succedaneis alia simplicia enumerabimus, quæ ex Galeni sententia phu substitui possunt.

Vitriolum, quod Græcis calcanthum, Latinis atramentum sutorium appellatur, duplex est : Factitium & Natuum. Natuum in terræ venis, aut saxorū cōmissuris concretum reperitur : aut dum ex ijs guttātim distillat , partim ex ijs stiarum instar dependet, partim in canalium fundum decidit.

Hodie aliud item genus in terræ superficie concretum reperitur, quod vulgo copperola vocatur.

Factitium etiam duplex est. Vnum quod in Cypro peculiariter siebat ex aqua quadam manante ex sōryos, chalcitidis, & mifyos fodinis , atque in piscinas quadratas effusa, ibi sponte concrescēbat. Alterum fit decocta aqua in qua maduerit terra quædam atramentosa, vt hodie moris est in multis locis.

Natum factitio præstantius est: ideo in eorum numerum copperosā Cypria referri potest, cū sit aliorum penuria.

E factitij generibus, Cyprus excellebat : cūm verò desit, vitriolum Romanum aut Siculum usurpari potest, veluti præstantissimum inter factitiorū genera.

D 4 DE